

223.

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO JURIDICA 88.  
Continens  
POSITIONES  
De  
ACTIONE  
SUBSIDIARIA  
Quas  
PRÆSIDE  
*VIRO Nobilissimo, Consultissimo  
atque Excellentissimo*  
DN. JO. HENRICO  
FELTZIO,  
D. & Prof. JCto Celeberrimo  
Ad Diem 23. Aug. cib Icc xvii.  
defendet solemniter  
STEPHANUS FRANCOIS,  
Metensis.

---

ARGENTORATI

Typis Viduae JOSIÆ STÆDELII, Univers. Typogr.

Diss. jur. civ.

20,10

F. C. C.

PARENTI SUO  
VERO  
OPTIMO  
DOMINO  
NICOLA奥  
FRANCOIS,  
Consiliario Regio Regioq; omnium  
intra fines Provinciæ Metensis Exporta-  
tionum, ut & quinque magnarum  
Galliæ Admodiationum Procu-  
ratori fidelissimo,  
*Primitias hasce Academicas*  
*in signum*  
*filialis devotionis & obedientiæ*  
*nunquam cessaturæ*  
*Dat, dicat, consecrat*  
*Filius obsequiosissimus*  
**STEPHANUS FRANCOIS.**



## DE ACTIONE SUBSIDIARIA.

Thes. I.



Eges non tantum eo tendere debent, ut damnum a privatis datum resarciantur; sed etiam, ut reparetur damnum à publicis personis datum.

I I.

Hoc enim vult justitia commutativa; ut nullus habeatur respectus personæ; sed ut jus suum cuique tribuatur, secundum proportionem arithmeticam.

I I I.

Hinc justissime Jus Romanum contra Magistratus dolosos, vel culposos introdu-

A 2

xit,

xit, in favorem pupillorum actionem subsidiariam.

I V.

Nimirum notum est, magistratus certos, olim apud Romanos fuisse quorum aliquibus jus dandi tutores; aliquibus vero jus exigendi satisfactionem ab istis tutoribus datis competit.

V.

Si itaque aliqui fuerint, qui culpat, vel dolum in exigenda satisfactione commiserunt, hoc ipso damno pupillari occasionem dederunt; si forsitan tutores in re pupillari male fuerint versati.

VI.

Quoniam itaque tales magistratus revera causa fuerunt istius damni; introducebatur Senatus consulto tempore Imperatoris Trajani facto; actio subsidiaria.

V I I.

Est autem actio subsidiaria personalis;

quæ datur pupillis adversus magistratus, qui  
in tutelæ constitutione, vel exigendâ satis-  
datione, dolum, vel culpam commiserunt,  
ad omne damnum resarcendum.

V I I I.

Dicitur subsidiaria; quia non datur nisi  
in subsidium.

I X.

Scilicet tutores dati, fidejussores tuto-  
rum, vel nominatores, vel singulorum hæ-  
redes excussi fuerint, & non sint solvendi,  
tunc demum datur nec actio contra magi-  
stratus, quæ etiam ob eam causam dicitur  
*ultimum præsidium*.

X.

Dicitur etiam hæc actio utilis; quia re-  
liquis actionibus, per interpretationem ad-  
jecta, & introducta fuit.

X I.

Causa impulsiva hujus datæ actionis est

A 3

verum

verum, & quasi delictum magistratus, qui scilicet, ut jam dictum est, vel dolosus, vel culposus est in dando tute; aut in cautionis exactione.

X I I.

Cum autem culpa triplex sit, alia lata, alia levis, alia levissima; quæritur, ad quam culpam præstandam magistratus teneatur; Respondeo ego, ad culpam latam, & levem, non vero ad levissimam.

X I I I.

Primo enim magistratus conditio non debet esse deterior; quam ipsa tutoris; qui tantum tenetur ad culpam levem.

X I V.

Secundo, quia vox *culpæ* simpliciter positæ non includit in se culpam levissimam, sed tantum latam, & levem.

X V.

Instituitur hæc actio demum finitâ tutelâ.

XVI.

XVI.

Nam, cum hæc actio non possit institui, nisi tutoribus excusis, tutores autem non possint excuti ; nisi rationes reddiderint ; rationes autem non reddantur, nisi finitâ tutelâ ; exinde suâ sponte fluit, actionem subsidiariam non institui posse ; nisi finitâ tutelâ.

XVII.

Hodie toties institui poterit ; quoties rationes à tute exactæ & in rationibus tutor se non præstiterit fidelem ; ad quæ insufficientem damni restaurationem.

XVIII.

Magistratus probat suam diligentiam.

XIX.

Hanc sufficienter probavit ; si demonstrare posset tutores idoneos fuisse tempore dationis ; seu exactæ cautionis.

XX.

Datur hæc actio pupillis, & hæredibus, contra magistratus minores.

XXI.

Quæritur, cur non contra Magistratus Majores, jure Romano detur hæc actio, Respondetur, quoniam magistratus majores, tutelæ dationibus, & exigendis fatis dationibus se non immiscebant.

XXII.

Quæritur, si plures magistratus simul tutores dederint, an in solidum teneantur, an vero pro virili parte, respondeo, si culposi fuerint, pro virili parte, sint vero dolosi, in solidum teneantur.

XXIII.

In hoc ultimo casu potest pupillus convenire quem vult, non enim ex delicto datur beneficium divisionis.

XXIV.

Hæredes Magistratum non nisi ex dolo, & latâ culpâ conveniuntur.

XXV.

Hodie, cum nunquam dolum, & culpa in magistratu tolerari conveniat, hanc actionem esse in usu publice, pariter, & privatim utile meritò statuitur.

F I N I S.

